







Km.

2 P. Pfeiffer



MYSTERIOSA
TYPICA DESCRIPTIO

et


Eruditio brevis et Com-
pendiosa, nos ducens
per viam Salutis eternae
Christiano homini
per modum meditationis.

*Augustae Vindelicorum
Sumptibus et Cura
Ioannis Andreae Pfeffel
Casarei Chalcographi
Cum Priv. Sac. Cas. Maj.*

1736.



THE
OF
AND
BY
LONDON



I.
Typus Creationis.

Thema: Quid est homo, quod memor es ejus?
Minuisti eum paulo minus ab Angelis.
Psalm. 8.

I.

O Amor incomparabilis, O! excessus benevolentiae & liberalitatis Diuinæ. DEUS ab æterno sibi sufficiens, hominem in tempore ex nihilo, gratuita sua bonitate produxit, illa naturæ dignitate, qua creaturas cæteras irracionales longe superaret, ut par Angelis ac DEO similis, ad summi denique boni, quod ipse DEUS est, possessionem, æternum felix perveniret.

2. Et ut ad hunc finem suum, scil. ad æterni boni possessionem perduceret, omnes ei creaturas subjecit, Angelorumque & suam addixit opem. Eædem illæ creaturæ homini seruiunt ad cognoscendum suum creatorem, tanquam fontem omnis boni & authorem suum, cui parent in omnibus. Quin suomet etiam creaturæ defectu & imperfectione ad summum indeficiensque bonum amplectendum, hominem erigunt.

3. Obinde utendum vel abstinendum creaturis, prout ad finem conferunt vel obsunt, juxta DEI præcepta. Ad quod conducet, si suæ quisque vocationis rationem ac finem

sæpe consideret. Deinde leges suo statui proprias, non tantum intelligat, verum etiam sequatur.


4. Quocirca in rebus creatis nostro arbitrio subjectis, indifferenti electione versari debemus, illas licet duras præferendo, quæ saluti magis conueniunt & à DEO, etiam in pœnam, proponuntur. In iis vero, quæ ex arbitrio tantum DEI pendent, ejus Diuinæ ordinationi acquiescendum est cum resignatione. Denique salutis media, non tantum noscenda, verum & reipsa usurpanda sunt.

Ut singula hæc puncta facilius memoriâ recoli possint aut Meditari, nota hæc carmina,
O! Homo.

1. *Conditor ipse DEUS nostri est, natura creatis
Eminet in reliquis, & fruitura DEO est.*
2. *Cuncta tibi, ut subsis, subsunt, monstrantque creantem,
Munere seu vitio deficiente, DEUM.*
3. *Elige quod iustum est, magnumque reuolue frequenter
Finem animo, leges scito & amato tuas.*
4. *Aspera sæpe Salus suadet, DEUS imperat ipse:
Ne fuge: nam triplicem pandit ad asira viam.*







II.

Typus peccati in Angelis, Proto- parentibus & aliis hominibus gra- vissime plexi.

- Thema : Ubi nunc es , qui in delitiis paradisi
DEI fuisti , plenus sapientia & perfectus
decore. Ezech. 28.

I.

PRÒ! quantam DEUS aduersus peccatum indignationem concipit : quia illud tam seuerè punit & tanto odio peccatores prosequitur , ut primas , excellentissimasque creaturas suas Angelos , unica cogitatione superba elatos , deinde Adamum pomi solius esu præuaricantem , una cum posteris ; denique innumeros alios mortales non sæpe delinquentes , æternis ignibus dedit cruciandos.

2. Nec immerito : nam Peccatum mortale est auersio à summo bono , ideoque summum malum , cum DEI injuria & offensa gravissima coniunctum. Tantò proinde indignius , quod à vilissima ac miserrima , tam in corpore quam anima creatura admittatur , idque aduersus DEI supremam & ubique præsentem , omnisciam , æternamque maiestatem , potentiam ac bonitatem , cui omne creatum obsequium debitum est.

3. Porrò ingentia peccatum mortale damna bonis hominis quà internis quà externis, quà corporis quà animæ, quà naturalibus quà supernaturalibus infert: Insuper pœnæ illud consequuntur præsentēs, & æternæ, eæque gravissimæ & inexplicabiles, ut pro illius satisfactione, necesse etiam fuerit, filium DEI extrema mortis sustinere supplicia.

4. Imo verò etiam peccatum veniale adeo abominabile monstrum est, ut DEUM graviter in suis amicis offendat, tanquam suæ majestati, sanctitati, bonitati & iustitiæ adversarium, ideoque DEI favorem, conjunctionem, dona ac præmia minuit & ad lethalem noxam viam sternit. Tandem grauissimis in hac & altera vita pœnis plectitur.

Compendio & memoriæ iuvandæ gratia,
accipe hæc disticha:

1. *O Scelus inuisum Superis, cadit Angelus uno,
Lapsus Adam, æternis ignibus ardet homo.*
2. *Omne malum est DEUS auersus. Vab! portio terræ
Vilis homo! tantum spernis, inique, bonum?*
3. *Corporis est animæque lues scelus, omnis ab illo
Pœna hominis manat, suppliciumque DEI.*
4. *Noxa levis grauis ante DEUM est, minuitque fauoris
Dona; stygemque aperit: plectitur hic & ibi.*







III.

Typus Nouissimorum hominis.

Thema: Utinam! saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent.

I.

AD detestationem peccatorum & firmum emendandæ vitæ propositum, magnopere facere solet frequens Nouissimorum hominis consideratio & seria recordatio, monente Syracide (Eccles. 7.) memorare nouissima tua & in æternum non peccabis; id eoque & Joannes Baptista pœnitentiam prædicans, hoc argumento usus est: facite fructum dignum pœnitentiæ: omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur & in ignem mittetur, Matth. 3. Imo Christus ipse suam prædicationem sic orsus est & dixit: pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cœlorum, Matth. 4. Jure igitur, qui vult pie sancteque viuere, Nouissima hominis sæpè meditetur: nam ipsissima veritas est: inprimis Morientium esse omnibus, nemine, nec Christo quidem Domino excepto, idque semel tantum ad æternitatem transeundo. Mors vero, ut certa est omnium, ita tempore, loco, modòque incerta. Cogitandum proinde, quid quisque in morte factum velit, quo animo sensuque præterita, præsentia & futura tunc sibi propositurus sit, præsertim si male vixerit; si verò bene exacta vita, quanto animi solatio ad æternitatem, unde nullus reditus, sit transiturus. Sed ô mors! quam

quàm amara est memoria tua , homini pacem habenti in substantiis , viro quieto.


2. A morte seu post hujus vitæ exitum statim quilibet judicabitur, daturus rationem de uniuersis, bonis malisque cogitatis, verbis & operibus. Deinde ultimo Mundi die palam in oculis totius creaturæ manifestabuntur secreta omnia, ad improborum confusionem, gloriam electorum & æquitatem DEI judicantis aperiendam. Postremò sententia improbis metuenda, probis optanda pronuntiabitur.

3. Quid dicam de horrenda Inferni pœna, quæ omnia hujus Mundi excogitabilia supplicia superat, sensus omnes corporis affiget & membra omnia pervadet. Animam quoque ejusque potentias uniuersas acerbissimè cruciatura. Verum sola æternitas est, quæ inter hæc omnia omnem suppliciorum atrocitatem longe superabit.


4. Via insuper Salutis adeo arcta est, ut summa contentione opus sit, cum paucissimi hominum saluentur. Ex vocatis etiam ad fidem plures pereant, quam salui fiant, ob neglectam DEI gratiam & admissa peccata, quæ DEUS certo numero permittit ac deinde peccatorem deserit, ut jure quoduis peccatum summe auerfari debeamus & quamuis gratiam amplecti.

Disticha memorialia.

1. *O! Mors certa, incerta dies! quis sensus in hora
Mortis erit? quanti tunc erit esse probum?*
2. *Judicium fatale subit, secreta patebunt
Omnia, clarescent ira, furorque DEI.*
3. *Supplicium Stygis horrendum membra omnia, mentem
Excrucians, ingens, quod sine fine malum est.*
4. *Arcta via est cœli multi periêre vocati,
Mensura est scelerum certa, notata DEO.*







IV.

Typus Incarnationis Dominicæ.

Thema: Sic DEUS dilexit Mundum, ut Filium suum daret unigenitum, ut omnis, qui credit in eum, non pereat. Joan. 3.

I.

Vere admirabile Divinæ Bonitatis, Charitatis, potentiae ac Sapientiae opus est Verbi incarnatio, quod singulari & ineffabili modo à DEO & Virgine Maria in DEI filii Matrem electa, perfectum, DEUM per omnia (peccato excepto) nobis fecit similem, ut peccatum destrueret, nobisque exemplum vitae daret & ad salutem æternamque gloriam Dux ipse autorque præiret: nam ipse est Rex regum & Dominus dominantium.

2. Qui summe potens sapiensque, pari nos secum conditione ad hostes salutis nostræ debellandos inuitat, suumque in omnibus ad certam victoriam exemplum sequi jubet, ipse tamen asperiora viarum præuius complanans, cuius imitationis ac sequelæ tanta est necessitas, simulque & gloria ac iucunditas, atque utilitas, ut refragari nemo, nisi DEI, suæque salutis contemptor queat.

3. Hinc in Bethlehem Judæ in stabulo, inter bruta animalia nascitur homo DEUS. O! admirabile spectâculum! O! virtutum omnium exemplar ineffabile! O incentium
omi-n

omnibus illis , qui suam amant salutem , merito sequendum & imitandum cunctis , qui salui fieri volunt. Habes hîc , ô ! homo ! inprimis exemplum profundissimæ humilitatis , quæ tanquam fundamentum cæterarum virtutum in Salvatore nostro nascente præcipue eminuit. Habes hîc , ô homo ! exemplum contemptus Mundi & bonorum ejus , quæ tanquam minus convenientia saluti , Christus suo nobis exemplo docuit esse negligenda.

4. Habes quoque in prima eius ætate singulare obedientiæ exemplar , quia legi DEI in circumcissione paruit , Herodi Regi persequenti in fuga cessit , parentibus subditus fuit. Quibus ostendit tibi , quanta esset huius virtutis cum utilitas tum necessitas. Huic pietatem erga DEUM singulari in templo DEI commoratione & studio iunxit , DEUM parentibus & rebus cæteris præferendum docens , quod hinc deriuetur in nos omne bonum. Unde factum , ut proficeret Sapientia & gratia coram DEO & hominibus , nobis in his omnibus ad exemplum propositus.

Disticha memorialia.

1. *O Res Mira! in carne DEUS, quam Virgo DEUSque
Prodidit ad vitam Duxque Salusque mihi.*
2. *Rex Regum tibi Dux factus , pugnabitis una,
Ut præit exemplo , sic imitare Ducem.*
3. *In stabulo DEUS ortus homo , virtutis imago
Nascitur & mundi quid sit inane , docet.*
4. *Subditur obsequio Maiorum Christus , & unum
Spectat ubique DEUM , proficiensque placet.*







V.

Typus ex una parte Christi vocantis, ex altera Diaboli invitantis.

Thema: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Matth. 17.

I.

Christus Dominus Salvator noster tanquam Dux & Pastor bonus, uniuersis, ut sua castra sequantur, leges ac disciplinam suam sectentur, persuadere conatur. Diabolo è contra suos in oppositam partem sectatores illecebrosa oratione abstrahente: postquam enim nefandus iste hostis homines suis illecebris ad se pertrahere, astuque ac viribus resistentes oppugnare aggressus est: DEUS nobis humana in carne Dux factus, oppositis Diabolum artibus expugnandum esse suo exemplo præuius ipse, docuit. Quem triplici classe homines secuti, alii à longè solis desideriiis, alii propius ipso opere, sed imperfecto: alii proximè, ad omnia ipsius mandata & consilia parati, imitantur.

2. Proinde Christus ad legem DEI prædicandam, egregia sese virtute præparauit, perfectionem cuius à seipso inchoandam demonstrans: Relicta enim Domo Patria, à Joanne pœnitentiæ Baptismo ablutus, à Spiritu Sancto de cœlo donatus est. Jeiunio deinde atque orationi 40. diebus in solitudine vacans, ut pœnitentiam, sic temperantiam cum

B

pietate

pietate erga DEUM suo nobis exemplo suavit. Denique cum Diabolo tentante congressus, repudiato illius seruitio ac mundi opibus, ab Angelis ministrantibus honoratus est, ut ad hanc pugnam victoriamque nos excitaret.

3. Porrò vocati à Christo Apostoli ex plebe ultima, atque etiam publicanis, relictis omnibus, vocantem nouo exemplo secuti sunt, quibus pro exiguis facultatibus, Christus centuplum pollicitus est, sed animo ab omnibus mundi opibus voluit esse auulsos; Breui verò in monte Sermone tum hos, tum alios auditores instruxit, in quibus vitæ huius perfectio ac beatitudo consisteret, ut ad eius desiderium omnes excitaret. Tandem ad rerum cœlestium curam animum imprimis conuertere omnes voluit, itaque reliqua adiicienda esse promisit.

4. Idcirco ad veritatis à se traditæ contestationem, mira supra naturam operatus est, fidemque, ut fundamentum Salutis, exegit ab omnibus, quam miris apud posteros operibus firmandam prædixit. Post hanc, ad spem fiduciamque omnes, verbis, factisque, nunc panes multiplicans, nunc mari & ventis imperans, excitauit. Postremo in monte Tabor gloriosus, suis coram discipulis & Christianis omnibus desiderium cœlestis Patriæ, gloriæque iniecit.

Disticha memorialia.


1. *Hinc Dæmon rapit astu hominem, DEUS inde vicissim,
Dux vocat. It triplici classe secutus homo.*
2. *Baptizandus abit Christus: Jeiunus & orans,
Solut agit victor demonis inde triplex.*
3. *Discipulos mira arte legit, præceptaque condit
Lege nova, Primas mandat habere Deum.*
4. *Miraculis fouet ipse fidem, spemque excitat omnem,
Et desiderii imbuit æthereis.*

Mazarm ni - Gp mar illustrat



G. B. Göz delin.

I. A. Friedrich sculpt. A.V.





VI.

Typus Christi Patientis, seque totum nobis in cœna ultima & ara crucis impendentis.

Thema: Aspicientes in authorem fidei, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, ne fatigemini. Heb. 12.

I.

Admirare nouum & inauditum hætenus in mundo, cœloque Spectaculum: nam cœli terræque Dominus, antequam tremendum illud ac incruentum sacrificium, sacramentumque Eucharisticum institueret, admiranda omnino demissione ad pedes Discipulorum, etiam ipsiusmet Proditoris sui Judæ se abiicit, & abluit, non obscure significans, quanta ad hoc puritate sit accedendum, in quo omnes thesauros Sapientiæ, potentiæ & bonitatis, Charitatisque suæ nobis DEUS proposuit. Fructumque Spiritualis vitæ multiplicem, tam ad vitanda peccata, quam gratiam virtutesque augendas exhibuit.

2. A cœna in hortum digressus, ex apprehensione malorum sibi, aliisque imminentium, tristitiâ & angore tanto pressus est, ut sanguine sudarit. Verum collecto ex mœrore animo, ardentius orationi insistens diuinæ sese Patris voluntati submit. Nec multo post Judas proditor adfuit, osculoque Domi-

num suum tradidit Judæis captiuandum, qui Christi voce prostrati, eademque rursus erecti, vincula iniecerunt.

3. Ad varia deinceps tribunalia Christus rapitur. Ad Ananiam ubi alapa cæditur; Inde ad Caipham Pontificem ductus, mortisque reus proclamatus, tota nocte verbera & ludibria perpeffus est: Petro Christum negante. Manè ad Pilatum raptus, innocensque ab illo iudicatus, Herodi, quod Gallilæus esset, transmittitur. Qui illudum veste alba remisit. Pilatus igitur dimittere frustra conatus, cum Barrabam latronem Christo Judæi prætulissent, flagellatum crudeliter & spinis coronatum, plebi exhibet; sed cum nec sic emolliri possent, voluntati Iudæorum traditus, ad crucem propriam ferendam adactus est.

4. Tandem inter duos latrones cruci affixus, alteri latronum inter opprobria cæterorum ad se conuerso paradisum promisit. Matrem sub cruce stantem commisit Iohanni; & ipse denique consummatis omnibus spiritum DEO Patri tradidit. Postremò inter varia prodigia mortuum Ioseph Arimathæus in nouo sepulchro deposuit.

Disticha Memorialia.

1. *Discipulis lauat ante pedes: dein præbita cœna est:
Omne sub hac una, claudis, habesque bonum.*
2. *Hortum adit, angoremque subit sic denique supplex,
Patris ad arbitrium vincula sponte tulit.*
3. *Vult Annas Caiphasque reum, virgisque Pilatus
Subiicit ac spinis, innocuumque cruci.*
4. *Latronum medius iuuat hunc, moriensque parentem
Iohanni addicit, sub nece terra tremit.*







VII.

Typus Myſticæ Reſurrectionis.

Thema: Scio, quod Redemptor meus uiuit, & in carne mea uidebo DEUM Saluatorem meum. Job. 19.

I.

Chriftus, poſtquam iuxta prædictionem, ut Jonas in ventre Ceti, ſic ipſe tribus Diebus & tribus noctibus, fuit in corde terræ, à mortuis tertio die ſurrexit, corpore glorioſo, quo factò nos ad ſpiritualem reſurrectionem per corporis noſtri mortificationem, orationemque inuitat. Spectaculum enim reſurrectionis à morte tam admirandum, quem non ſpe eiufdem ad ſimile exemplum vitæ prouocaret? Ingenti illud DE Iparam, Magdalenam, Apoſtolos ac Diſcipulos Chriſti omnes gaudio perfudit. Sed & nobis ſpem fecit vitæ futuræ & gaudii cum illo, & per illum, ſempiterni.

2. Duos paulo poſt Diſcipulos in fide & ſpe Reſurrectionis vacillantes, in uia Emauntica apparens, confirmat, cum inter ſe de intellecta Chriſti reſurrectione, ſuæ & illius ſalutis anxii, conſabularentur: placuit enim Chriſto tam ſalutari colloquio intereſſe, inuitatus demum ab ipſis ad hoſpitiū menſamque communem, ex benedictione & fractione panis

Eucharistici agnitus, eorum oculos & mentem ad singularem amorem & cognitionem aperuit.


3. Apostolis, Thoma excepto, collectis apparet Christus & pacem iteratò precatur, quæ primò quidem homini secum optanda est, & subactis passionibus obtinetur; deinde cum proximo Christianis inprimis est commendata, sine qua charitatis lex non impletur. Denique ut cum DEO ab homine obtineri facilius possit, reconciliationis sacramentum à Christo utilissimè est institutum.


4. Etiam Thomæ, Resurrectioni non credenti Christus reliquis Discipulis spectantibus, fidem per vulnera patefacta fecit, ingentemque in illo, per diuinitatis in Christo agnitæ præsentiam, venerationem & amorem excitauit; præsertim cum singulare hoc sibi incredulo atque immerenti beneficium contigisse animadverteret.

Disticha Memorialia.

1. *Morte triumphata uiuit, Speque excitat omnes
Ad vitæ exemplum, gaudia mille parit.*
2. *Ducit Emauntem, Sociusque, est Sacra loquentum
Instructor, felix hospite mensa fuit.*
3. *Discipulis pax trina datur, qua gaudeat unà
Proximus, atque DEO concilietur homo.*
4. *Nudum aperit Thomæ latus, ille fidelis
Numine præsentis est, & sua dona capit.*







VIII.

Typus Amoris DEI super omnia.

Thema: Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, non quæ super terram.
Coloss. 3.

I.

AMOR DEI super omnia est apex perfectionis nostræ: quia summo bono nos ita coniungit, ut ad illius unius possessionem actiones nostras dirigamus uniuersas, propterque illud unum velimus, desideremus atque agamus omnia. Quod quidem uniuersæ legi, tam humanæ quam diuinæ, adeo conforme est, ut cùm unus è numero scribarum (Marc. 12.) Christum de Charitatis præcepto audiuiisset differentem, subiiceret: Benè Magister, in veritate dixisti, quia unus est DEUS & non est alius præter eum, & ut diligatur ex toto corde & ex toto intellectu & ex tota anima & ex tota fortitudine: & diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustibus & Sacrificiis. Sapienter plane! ideoque & à Christo audire meruit: non es longe à regno DEI. Idcirco & Petro Christus committit Ecclesiam, quod plus cæteris amasset sicque sibi maxime (ut amore fit) coniunctus esset. Ad quem amandum nos quoque multis beneficiis incitatur. Imò omnia nos bona creata ad DEUM bonorum fontem inexhaustum ducunt. Quin & DEUS, in ipsis creaturis, nobis potissimum nostroque commodo, etiam affligendo inseruit, ut in harum usu Deum ubique intueri & amare doceamur.

2. Quidquid homo possidet bonorum siue naturæ siue gratiæ, hoc pro arbitrato suo distribuenti DEO ita totum debetur, ut homo inde nequeat gloriari, nec alium in his conferendis DEUS finem spectauit, præter se suamque gloriam, quo idcirco à nobis etiam referenda sunt uniuersa, cumque DEUS ex gratuito efficaci, ac perpetuo amore hæc nobis donaret, par erit simili nos, quantum licet, amore respondere.

3. Cum professus Petrus esset, se Christum amare, iussit Christus in hoc esse tantum ut se sequeretur: multis enim titulis ad DEI voluntatem in omnibus sequendam, homo obligatur. Et necessitate certa ad hoc volens nolens tenetur, præterquam quod tam summa DEI excellentia quam nostra utilitas, hoc requirat, ideoque non aduersa minus, quam prospera cum gratiarum actione, à DEO semper sint acceptanda, & per hoc summa huius vitæ quies & felicitas obtinetur.

4. Christus ascensurus ad cælos, discipulis suis iam à se ad virtutem instructis, prædicationem Euangelii & salutem proximorum committit; se tamen cum ipsis semper mansurum, ex singulari perseverantis amoris affectu declarat. Ad Patrem verò cœlestemque gloriam se abire, ut illis aliquando subsequetur locum præparet.

Disticha Memorialia.

1. *Petrus amans pascit: nostrum Deus ambit amorem,
Hunc bona quæque homines & mala quæque docent.*
2. *Cuncta DEUS tribuit, cunctorum gloria soli est
Debita, tu dextram Regis amantis ama.*
3. *Petrum, teque, sequi vult Christus, mille teneris
Nominibus, fors hæc quælibet apta tibi est.*
4. *Discipulos toto orbe iubet resonare futurus
E cælis præsens, quos modo ductor adit.*



